

ETA SIGMA PHI 73rd Annual Latin Translation Contest (2023)

Advanced Latin

To be written as an examination, under supervision, within a maximum of two hours. No lexicon or other help is permitted. Please write in ink on every other line of the paper provided. The only identification on the contest papers should be your pen name.

This passage (Livy, 21.7–8.1) describes Hannibal’s siege of the Spanish city of Saguntum in 219 BC. This incident led to the Second Punic War. The words marked in bold are glossed below the passage.

[7] Dum ea Romani parant consultantque, iam Saguntum ¹ summa vi oppugnabatur. Civitas ea longe opulentissima ultra Hiberum fuit, sita passus mille ferme a mari. **Oriundi** a Zacyntho insula dicuntur mixtique etiam ab Ardea ² Rutulorum quidam generis; ceterum in tantas brevi creverant opes seu maritimis seu terrestribus fructibus seu multitudinis incremento seu disciplinae sanctitate qua fidem socialem usque ad perniciem suam coluerunt. Hannibal infesto exercitu ingressus fines, pervastatis passim agris urbem **tripertito** adgreditur. Angulus muri erat in planiorem patentioreque quam cetera circa vallem vergens; adversus eum **vineas** agere instituit per quas aries moenibus admoveri posset. Sed ut locus procul muro satis aequus agendis vineis fuit, ita haudquaquam prospere, postquam ad effectum operis ventum est, coeptis succedebat. Et turris ingens imminebat et murus, ut in suspecto loco, supra ceterae modum altitudinis emunitus erat, et iuventus delecta ubi plurimum periculi ac timoris ostendebatur ibi vi maiore obsistebant. Ac primo missilibus summovere hostem nec quicquam satis tutum munientibus pati; deinde iam non pro moenibus modo atque turri tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes operaque hostium animus erat; quibus tumultuariis certaminibus haud ferme plures Saguntini cadebant quam

¹ Saguntum is the Latinized version of the name Zacynthus, a Greek island in the Ionian city.

² Ardea (the seat of King Turnus, according to Virgil, Aen. VII. 409 ff.) was the chief city of the Rutuli and had been a Roman colony since 442 B.C.

Poeni. Ut vero Hannibal ipse, dum murum incautius subit, adversum femur **tragula** graviter ictus cecidit, tanta circa fuga ac trepidatio fuit ut non multum abesset quin opera ac vineae desererentur.

[8] Obsidio deinde per paucos dies magis quam oppugnatio fuit dum volnus ducis curaretur; per quod tempus ut quies certaminum erat ita ab apparatu operum ac munitionum nihil cessatum. Itaque acrius de integro coortum est bellum pluribusque partibus, vix accipientibus quibusdam opera locis, vineae coeptae agi admoverique aries.

Vocabulary

oriundus, -a, -um descended, born in

tripertito = tripartito

vineae, -ae f. arbor-like shed built for sheltering besiegers, mantlet, penthouse

tragula, -ae f. javelin